

*construendis, monasteriis fundandis, dotandis, ditandis, immunitatibus concedendis ad miraculum usque magnifici fuerunt: ita non defuit etiam monachis sua laus, quod pia cura & sedula gratitudine collata in ipsos beneficia mandarunt litteris; adeoque de bene merentibus Nominibus ipsi bene meruerunt. Neque tam privato quam publico consuli emolumento eiusmodi monumentis postquam deinceps declarasset Marshamus, tandem, absque monachis, ait, nos sane in historia patria semper essemus pueri.*

Silentio hic premo, quæ porro in monachorum monasteriorumque laudem subdit, & apologiam. Rem nostram quod attinet penes benevolum lectorem iudicium fit de colonia Ord. S. Bened. Nigra Silva, cuius primo hoc tomo canam antiquitatem, ac primum florem pandimus; quod reliquum est, deinceps exposituri, asserturi quoque singulari codice probationum, ineditisque hætenus veteribus chronicis.

Horum vestigiis plerumque inhærentes historiam simplicem & nativam damus absque incrustationibus illis, quibus passim iam vetus historia involvitur, ut non pauci scriptores sua potius philosophemata, ne quid gravius dicam, oggerant, quam genuina vetera gesta perscribant. Cæterum nulli pepercimus operæ, ut sincera nobis undique compararemus monumenta: plusculum vel hinc versati in antiquitatibus San-Blasianis, materia iam subfrata a syncellitibus, P. Marquardo Herrgott præcipue & P. Stanislao Wülperz, quorum iam defunctorum commentariis, & P. Æmiliani Uffermann bibliothecarii præfenti opera usi sumus. Quo nostro qualicumque labore ut lectores feliciter uti ac frui velint, optamus, & ad ea, quæ restant, symbolis suis nos recens iuvare dignentur, etiam rogamus.

NIGRA